

frui licet, cupream nostram domi in suprema contignatione ædium nostrarum, quâ parte mœnibus oppidi proximæ versus austrum respiciunt, suspensam reliquimus quibusdam Studiosis è Collegio nostro, alteram verò portatu faciliorem ego & quem adjunxeram mihi socius, horâ nocturnâ inter nonam ac decimam mediâ, extra urbem versus pagum Rasch extulimus, inter eundum subinde sociis in urbe reliatis occlamantes & ab iisdem responsa accipientes. Et quamvis præter omnem expectationem nostram non pluvia solum tenuior, sed ventus etiam sibilans valde paulò post intervenisset, ita ut illi (quod postmodum testabantur) nostras longius progressorum voces distinctè percipere amplius non potuerint; nos tamen ipsorum acclamations clare satis etiam tum percipiebamus, cùm jam per declivia proximè ad fluvium Svvarzam, qui prædictum pagum alluit, pervenissemus, ab oppido jam remoti dimidiæ circiter horæ viâ & eo loco constituti, quo alias de die quoque oppidum ob interpositos colles videri amplius non potest. Inde ergo reverti hac vice coacti, quantum ex effectu præsenti colligere licebat, spem nobis fecimus, aliâ nocte magis tranquillâ ex alio editiore loco & majore locorum (dimidii fortè milliaris germ.) intercedine, mutua hæc alloquia felicius continuandi: quod tamen effectum dare postea non licuit, cùm alteram illam retortam tubam possessor in proprios usûs insperatò repetiisset.

XVII. Quantæ porrò utilitatis esse terra marique posset hoc Organum Stentoreo-phonicum, cùm ex haec tenus enarratis experimentis, tanquam auritis testibus, æstimare promptum esset Auditoribus nostris, ex ipso Morlando tamen eos monere prolixius lubuit, & hic etiam, in gratiam eorum quibus exoticos istos libros aut legendi facultas aut videndi copia non datur, breviter subnectere. Marinus scilicet usus primò haut exiguis futurus esset in tempestatibus ac procellis, vel etiam in tenebris nocturnis, ut navigia, ad U vocis